

5
1768,55.
EXERCITATIO IVRIDICA 20
QVAESTIONEM CONTINENS:

*Vtrum testator inuentarii confe-
tione aut iuratam specificationem
remittere possit.*

P. 294
Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P.P. ECCLES. CATHEDR. MARTISBURG. CAPITVL. CVRIA
IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC. LVSAT. INFERIOR. NEC
NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET ACADEMIAE
DECEMVIR.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXII MART. MDCCCLXVIII.

P U B L I C E D E F E N D E T.

CAROLVS GOTTLLOB KIRCHHOFF.

L I P S .

L I P S I A E
EX OFFICINA BREITKOPFIA.



HYLIA OCTATI LARIDIA

9. FEBR. 1700. 1700.

SUSANNA TUDOR. MARY

CAROLINA LINDSAY.

LINDSAY.

CAROLINA

HILARY CECILIA DEDDINGTON

2. 1. 1700.

ELIZABETH GOLLIFFE DEDDINGTON

1700.

ELIZABETH GOLLIFFE DEDDINGTON

1700.

ELIZABETH GOLLIFFE DEDDINGTON

1700.

CAROLAS GOLLIFFE DEDDINGTON

1700.

ELIZABETH GOLLIFFE DEDDINGTON



*Vtrum testator inuentarii confectionem aut
iuratam specificationem remittere possit.*

§. I.

Sapienter egerunt veteres, qui potestatem parentum circa dispositionem bonorum certis restrin gere limitibus non dubitauerunt. Quamuis enim domino rebus libere vtendi easdemque ad quoscunque transferendi in regula competit licentia, interdum tamen, ut effectus dominii diminuamus et dispositioni prae scribamus modum, aequitas desiderat. Contingit hoc potissimum circa ultimas voluntates, in quibus liberis, quos arctissimum coniungit naturae vinculum certa pars substantiae est relinquenda, cum in illis teste *Paulo l. 11. ff. de liber. et posthum. evidentius appareat, continuationem dominii eo rem perducere, ut nulla videatur hereditas fuisse, quasi olim hi domini essent, qui etiam viuo patre quodammodo domini existimantur.* Qua ex causa fit, ut testamentum parentum, vel nullum, vel in-

4 *Vtrum testator inuentarii confectionem*

officium dicatur. Prius contingit, si liberi nec heredes instituti, nec nominatim exhereditati fuerunt. Posterius evenit, quoties quidem exhereditatio facta, sed testator modum legibus praescriptum non obseruauit, potius contra pietatem et officium legitimam liberis competentem ademit. Determinauerunt enim leges causas, ob quas si probatio non deficiat liberi substantia priuari possunt, contra quas si egit pater, cum illi nouas fingere non liceat, testamentum rescindere iura permittunt: dum in iustitiam vocamus causam quae querelam inofficiosi producit, offendimus forsitan Heinecium et alios memoria dignos, doctrina praeclaros, qui singunt testatorem tunc temporis quo de exhereditatione cogitabat, quasi emotae fuisse mentis. Sed nil obstat, infistimus veritati, nec indulgemus illis, qui querelam nullitatis et inofficiosi non rite distinguunt, parumque considerant, quod moribundus furore laborans testamentum tanquam discretum ultimae voluntatis iudicium condere nequeat.

§. II.

Nil ulterius monebimus de causis quae exhereditationem efficiunt iustum, multominus de distinctione circa testamentum nullum et inofficium obueniente, ea enim omnia ab aliis iam satis exposita relinquuntur. Potius ad id deueniamus cuius rei gratia hanc conscripsimus exercitationem. Fingas casum Titius decedit, in testamento quo vxorem et filium impuberem heredem instituit, prohibet, ne ab uxore solempne inuentarium vel specificatio iurata, quam alias heres exhibere tenetur, exigatur, sed ut nuda confugatio ab uxore confecta in locum inuentarii succedat disponit. Vtrum tutores impuberis, vel consanguinei vel magistra-

gistratus, qui vices supremi tutoris gerit, huic voluntati obtemperare cogantur, vel ea non obstante iuratam specificationem desiderare possint, quaestio oritur.

§. III.

Non deficiunt qui indistincte patri potestatem remittendi inventarium denegant, et tutori pariter, quam iudici exactionem eius non obstantibus tabulis testamenti tribuunt. Ratio huius sententiae potissimum ea videtur, quod pater in praeiudicium legitimae nihil suscipere multomitus ad elendam eam disponere queat. Haec enim portio, quam legitimam appellamus non dependet ex voluntate libera parentum, sed ex necessitate legis est relinquenda, et in regula nec ademptionem, nec diminutionem admittit. Hanc ob causam *l. 32. C. de Inoff. testam.* Si conditionibus quibusdam, vel dilationibus aut aliqua dispositione moram, vel modum, vel aliud gravamen introducente eorum iura, qui ad querelam inofficiosi vocantur, imminuta esse videantur, ea omnia tolluntur et ita res procedit quasi nihil eorum testamento additum esset. Quomodo vero determinari potest legitima nisi de patrimonio defuncti constet, cuius quantitas per inventarium ad liquidum deducitur: Cum itaque ab editione inventarii vel iuratae specificationis dependeat legitima, quam liberi de iure exigunt, exinde sequi videtur testatorem neutquam eius confectionem remittere posse, cum nemo in testamento cavere possit, ne leges valeant. conf. Ludolph. Schrad. Tract. de Feud. p. 8. c. 8. n. 10. Prukm. V. I. Conf. 48. n. 34.

§. IV.

Confirmarunt hanc opinionem Scabini Lipsienses Mens. May. 1716 in August Zehnichens Verlassenschaft, nec non in

A 3 Johann

Johann Andreas Diezens Nachlaß, et viduam ad conficiendum inuentarium non obstante remissione in testamento mariti facta adstrinxerunt his vsl rationibus. Dieweil die Schuldigkeit eines Vormundes mit sich bringt, daß er seiner Pflege befahlne Bestes so viel an ihm ist besorge und alle Verkürzung dererselben an demjenigen, so ihm von Rechtswegen zukomme, verhüte, diesem allen aber gemäß, und eine nothwendige Folge davon ist, daß dem Vormunde die Mittel zu entziehen, ohne welche er was eigentlich dem Mündel an Vermögen gebühre und derselbe mit Bestande zu fordern habe, auch ob derselbe einigen Schaden leide oder ihm dergleichen bevorstehe, nicht einsehen kann, keinesweges vergönnet noch dessen letzter Wille dagegen einige Wirkung haben kann. Quae sententia etiam interposita leuteratione penitus a Collegio Ictorum Mens. Sept. 1754 compensatis tamen expensis adprobata fuit.

§. V.

Defendere hanc sententiam quoque videtur salus publica cui, cum supra sit lex cui omnes obtemperare tenentur cives, nec pacto, nec alia dispositione derogari potest. Interest enim reipublicae ut pupillus bene educetur et eius bona quouis conseruentur modo. Hac ex causa leges magistrati supremam concesserunt inspectionem et pupillo actionem dederunt, mediante qua magistratum, qui culpam in constituendo tute commisit conuenire, et ab eo in quantum tutor non satisfecit, restitutionem damni in subsidium petere potest. Dum vero appellamus magistratum, non intelligimus personam, quae dedit tutorem, sed totum collegium, quippe quod pro vna habetur persona, et ad restitutionem damni licet ab uno sit illatum, legum auctoritate tenetur.

tenetur. Quod si itaque magistratus, qui minus recte pupillo prospexit, actione subsidiaria conveniri possit, nemini vero iniuria sit inferenda, necessario sequitur, iudici media, quibus diligentiam quam eius desiderat officium exercere potest, non esse auferenda, quod tamen continget, si deficeret potestas exigendi inuentarii confectionem. Imo magistratus tali ratione citra culpam ad resarcendam laesio-
nem, quatenus pupillus adepta maiorenitate eandem probat, obligatum se sentiret, quod tamen aequitati quae qui-
dem in omnibus rebus, maxime tamen in iure est spectanda
adversatur.

§. VI.

Intermediam alii fouent opinionem et distinctionem adhibere volunt, utrum filius tantum ex testamento recipiat legitimam, vel an testator ultra eam filio aliiquid reliquerit. In priori casu negant remissionem valere, si non appareat, legitimam esse saluam, cum confessio inuentarii pariter ac iuratae specificationis equidem in praeiudicium legatariorum et fideicommissorum, minus vero creditorum, qui non ex libera voluntate testatoris, sed ex necessitate debitum exigunt, remitti queat. conf. Struv. Exerc. 33. 57. Perez ad Cod. de iur. deliber. n. 18. Fachinaeus L. 5. Controv. c. 25. Pro creditore autem habendum esse filium, qui portionem lege determinatam petit argumento l. 32. C. de inoff. testam. et ex analogia iuris constat. vid. Frid. Pruckman: Vol. I. Conf. 48 p. 36. Ast in posteriori casu dispositionem testatoris ne exigatur in-
ventarium valere adserunt, et pro ratione agnoscunt, quod filius, cui pater plus quam legitimam portionem reliquit, non solum personam creditoris sed etiam legatarii repraesentet, quem, dum beneficium collatum appetit, leges, ut ultimae
volun-

voluntati pareat, nec eam impugnet, stringunt. Merito tamen de veritate huius distinctionis dubitamus, cum legatum et debitum sint diuersa, et creditor nisi testator expresse dixerit, quod legatum, in locum debiti succedat et vices surrogati sustineat, utrumque possit petere.

§. VII.

Haec de contraria sententia dicta sufficient, quatenus adfirmativa praeualeat nunc videamus. Expediti est iuris patri illimitatam in liberos competere potestatem et eius dispositioni leges omnem applausum tribuere in tantum, ut nec iudici, nisi perniciosum videatur iudicium inquirere et cognoscere licet. Hac ex causa propriis viribus tutela testamento constituta subsistebat, et tutor vi patriae potestatis legitime designatus confirmationem iudicialem haud desiderabat. Rationem huius asserti eam censensus, quoniam nempe praesumtio militat pro patre, quod in praeiudicium liberorum nihil suscepit, optimum enim patris in legibus dicitur consilium, unde fit, ut substitutio pupillaris, quamvis quilibet sibi non tertio heredem in regula instituere possit, is enim nemini inuitu obtrudi potest, valeat. Amor itaque paternus, quem vinculum naturae non solum confirmat, sed etiam probat, et ab omni disceptatione liberat, efficit, vt praesumamus patrem bene de filio cogitasse, et eam ob causam remississe confectionem inuentarii, quia de fide cohredis, cui alias necessitas edendi inuentarium incumbebat, satis erat conuictus. Cum itaque inuentarium ideo sit confidendum, ut de vera substantia testatoris, ex qua computanda est legitima, sumus certi, heres vero cuius nudae consignacioni fidem habuit testator, nullam patiatur suspicionem, sed praesum-

sumtione integritatis, quae donec probetur contrarium obtinet, se defendere possit, liquido constat, quod cessante ratione quae inuentarii editionem desiderat, cesset legis disposicio, quae heredem ad eius praestationem adigit.

§. VIII.

Sed ne legum auctoritate destituta dicatur nostra sententia, cum ICto erubescendum sit sine lege loqui, prouocamus ad l. 3. §. 1. C. Arbit. tut. vbi Diocletianum et Maximianum differentes audimus. *Ilo procul dubio obseruando, ut non audeat tutor, vel curator res pupillares vel adulti aliter attingere, vel ullam sibi communionem ad eas vindicare, nisi prius inuentario publice facto secundum morem solitum res ei tradantur, nisi testatores qui substantiam transmittunt specialiter inuentarium conscribi vetuerint.* Obstringit Imperator in hac lege tutores ad inuentarii confectionem, eosdem tamen penitus liberat quatenus ad testatoris voluntatem prouocare possunt. Dum dispositioni patris locum dedit Diocletianus et Maximianus, respexit partim ad potestatem, quae patri respectu liberorum competit, partim ad rationem, quae impulit testatorem, ut necessitate coactus, ne forsitan secreta patrimonii promulgantur, editionem inuentarii remitteret. Si enim teste Alexandro lege 2. C. de aliment. pup. praefand. bonus vir et innocens tutor arbitrio suo aluit pupilos (quod interdum etiam necesse est fieri ne secreta patrimonii et suspectum aes alienum pandatur, quod melius est interdum tacere, quam cum de modo bonorum queritur proferre et apud acta ius dicentis contra utilitatem pupillorum designare) non dubio accepta ferre debemus ea, quae vir bonus arbitratur merito ad exhibitionem educationis ministeria, studiaque erogata esse. Adsistit pariter nostrae sententiae l. 7. pr. ff. de Admin. et peric. tut. in qua

B

ICtus

ICtus Ulpianus uersari tutorem in dolo adserit, qui repertorium, quod vulgo inuentarium dicitur, non fecit, exceptiōnem tamen, addit; nisi aliquam necessariam et iustissimam causam allegare possit, cur id non sit factum. Evidē in hoc loco de remissione inuentarii, quam testator ultima voluntate constituit, nihil dicitur, quam ob causam etiam interpres verba legis tantum ad causas fonticas, quando nempe ex persona tutoris legitimū impedimentum quod meretur dispensationem obuenit, restringere volunt, nihilominus tamē legem generalem esse et ad predictū casum applicari posse censemus. Quae enim causa potest esse iustior quam uoluntas testatoris, qui dum prohibet inuentarii confectionem iustitiam ante oculos habuisse prae sumitur. Et quid est imputandum tutori, qui voluntati patris, quam legum auctoritas effecit sanctissimam, resistere haud poterat.

§. IX.

Legum itaque dispositione pariter ac prae sumptione in qua constitutus dicitur testator remissio confectionis inuentarii vel iuratae Specificationis fieri potest. Interim tamen nelitibus praebeatur ansa, bene faciunt illi, qui testamento adiiciunt clausalam, quod si filius, vel eius tutor vel cognati aut magistratus dispositioni non parere, sed inuentarium aut specificationem iuratam desiderare ausi fuerint, filius ultra legitimam ex patrimonio defuncti nihil vindicare et de iure petere debeat. Hoc enim facto melius coercetur temeritas impugnandi testamentum, nec magistratum excusat officium, si a pupillo adepta maiorenitate ob laesionem exinde resultantem conueniatur.

§. X.

§. X.

Confirmat hanc opinionem Responsum Scabinorum Lipsiensium in causa Breunigs Nachlaß betreffend Mensl. Dec. 1761. Cum enim testator impuberem filium heredem institueret, et tutori inuentarii confectionem addita clausula, daß dasjenige, was er von dem Vermögen in genere ohne specielle Benennung derer Sachen angeben würde die Kraft und Wirkung eines Inuentarii oder eidlichen Specification haben solle remissemus, de valore vero huius dispositionis ex parte magistratus oreretur dubium, Icti memorati patris arbitrium approbauerunt, et ne tutor ultra consignationem, quam sponte et ex voluntate patris obtulerat, ad plura adigeretur, additis rationibus. Dieweil einem Vater in seinem Testamente wegen seiner Kinder Bevormundung und Verlassenschaft Versorgung zu treffen die Rechte unumschränkte Macht und Gewalt geben, und Johann Christoph Breunig in seinem gerichtlich hinterlegten letzten Willen seinen einzigen annoch unmündigen zum Erben seines gesammtten Vermögens eingesetzten Sohne nicht nur Carl Ludwig Pfeiffer zum Vormunde ernennet, sondern auch damit dieser bey Uebernehmung der Vormundschaft, nicht unndthig beschweret würde, daß derselbe eine eidliche Specification seines Vermögens nicht ausantworten, sondern dasjenige, was er von dem Vermögen in genere ohne specielle Benennung derer Sachen angeben werde, die Wirkung eines Inuentarii oder eidlichen Specification haben solle, verordnet darneben, daß wenn sein Sohn oder dessen Obrigkeit, oder wer es sonst nur seyn möge von diesem seinem letzten Willen nur in dem geringsten abgehen würde, er auf diesen Fall seinen Sohn nur im Pflichttheile zum Erben eingesetzt, in dem übrigen Vermögen aber genannten Pfeiffer zum Erben ernennet,

B 2

und

12 *Vtrum testator inuentarii confectionem etc.*

und demselben Kraft dieses detracta legitima das Vermögen
zugeeignet haben wolle sich erklärt, pronunciaverunt.

§. XI.

Ea vero omnia, quae de remissione inventarii ut valeat,
diximus, eatenus tantum obtinent, quatenus ex parte heredi
dis non appetit dolis. Dolus enim nemini praestat patro-
cinium, nec beneficia delinquentibus competit. Quod si
itaque de dolo heredis constet, eum sine dubio ad edendum
inuentarium compellimus, nec prouocare potest ad disposi-
tionem testatoris, qui ob prae sumptionem bonae fidei indul-
gebat heredi, quae prae sumptio cum per probationem in
contrarium elidatur penitus cessat, fauemus potius testatori, qui,
si de mala fide heridis fuisset conuictus, in eius fauorem
remissionem nunquam disposuisset.



Leipzig, Diss., 1768 R2

X 241 7957

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



1768, 58.
20
IO IVRIDICA

M CONTINENS:

*inuentarii confe-
am specificationem
re possit.*

A M
ORDINIS AVCTORITATE
S I D E

LIEB ZOLLERO

ARTISBVRG. CAPITVL. CVRIA
VDIC. LVSAT. INFERIOR. NEC
SSESS. ET ACADEMIAE
MVIR.

IO ICTORVM

MDCCLXVIII.

E F E N D E T.

LOB KIRCHHOFF.

I A E
GREITKOPFIA

